

forensibus pena sit in discretione dominii, et satisfiat dampnum domino rei, si de bonis suis poterint reperiri, et si de bonis suis non reperirentur, comune satisfiat domino leso, et si dans dampnum forensibus comprehendi non poterit, baniatur in perpetuum et eius bona ¹⁾ publicentur in comuni; et 5
 si nesciretur quis esset malefactor, comune refitiat dampnum domino rei, et quodocunque malefactor capietur puniatur ut superius expressum. ¶ Item ordinamus quod quicunque posuerit ignem in feno vel arbores virides vel siccas fructiferas unam vel plures, ²⁾ pro quolibet arbore vel vite conponat centum 10
 sold. par. comuni et refitiat dampnum domino rei, et si non
 135 B habuerit solvere puniatur in persona // in discretione dominii, et acusator habeat tertiam partem condempnationum factarum occasione dictarum arborum; et si malefactor comprehendi ³⁾ non poterit, baniatur, de quo bano exire non possit quousque 15
 non satisfecerit ut superius est expressum. ¶ Et quicunque faciens carbones fecerit dampnum alicui de aliqua arbore, solvat centum sold. par. comuni pro quolibet arbore et refitiat dampnum domino rei.

Cap. XXVIII. De furtis et pena furium et mar- 20
 supia incidencium. R.ca.

Quicunque de alieno acceperit invito domino malo modo a decem den. inferius, solvat comuni mediam march. den., et a decem den. usque ad viginti solvat unam march. comuni, et si qua persona condempnata non habuerit unde 25
 solvere condempnationem predictam, puniatur in persona in discretione dominii. ¶ Et si quis fecerit furtum a viginti den. superius usque ad quadraginta den., conponat comuni vigin-
 tiquinque libr. par. et refitiat dampnum domino rei, et si non habuerit unde solvere frustretur. ¶ Si vero quis furtum com- 30
 misserit a quadraginta den. superius usque ad mediam march.,

¹⁾ Aggiunta marginale. ²⁾ Il luogo mi sembra guasto. Gli Statuti del 1365 hanno: *vel in arboribus viridibus vel siccis fructiferis una vel pluribus vel predictas arbores inciderit, pro qualibet arbore etc.* ³⁾ *condempendi.*